DE
TUSSI CONVULSIVA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XVIII. M. FEBRUARII A. MDCCCXLI.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

Oscar Jannasch
ANHALTINO-COETHENSIS.

OPPONENTIBUS:

O. SCHULTZ, med. et chir. Dr.
M. STUEMCKE, med. et chir. Dr.
F. PLATE, med. et chir. Cand.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

VIRO

ILLUSTRISSIMO, AMPLISSIMO, HUMANISSIMO

H. FR. LINK, DR.

PHYTOLOGO,

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PRAEFATIO.

Quum mos ferat et antiquissimus et honestissimus, ut, summos qui in medicina adipisci velit honores, ex amplo medicinae campo particulam sibi eligat, eamque pro viribus excultam doctissimorum virorum judicio submittat, circumspicienti mihi nihil aptius magisque idoneum visum est, quam de tussis convulsivae causis tum proximis tum remotioribus deque ejus curatione agere, praesertim quum paulo ante infantem ex morbo isto laborantem curandum accepissem.

Jam vero quum nulla fere artis medicinae exstet provincia, quam non inde ex antiquissimis temporibus viri sagacissimi, doctissimi, experientissimi cum maxima diligentia ac studio perquisiverint, per se patet, tironis opera et litteris in arte, quam vixdum, ut ita dicam, delibavit, aegre novi quidquam inveniri posse.

Quare dissertatiunculam libere propono, quumque in morbum, quem elegi, tractando et describendo omnes nervos meos intenderim et annixus fuerim, non despero, futurum esse, ut hae meae studiorum primitiae a lectore exiguis indulgente adolescentiae facultatibus benigne excipiantur et clementer dijudicentur.

HISTORIA MORBI.

Tussis convulsiva ad illos morbos, quorum primordia multis premuntur tenebris, adnumeranda est, quapropter de origine atque aetate vix certi quidquam dici potest. Hippocrates quidem: Sect. VI. Aphor. 46.: »Quicunque, inquit, gibbosi ex anhelatione aut tussi fiunt, ante pubertatem pereunt,« quae verba mihi minus ambigua videntur, quam quae ad tussim convulsivam referenda pro certo affirmarem; nam ex illis non satis apparet, utrum tussis catarrhalis, an spastica fuerit. Item Avicenna tussim epidemicam quandoque obviam descripsit, »qua vexati sanguinem exscreabant totaque facie coerulescebant« sed neque hoc argumentum nobis aliquid offert, quum bronchitidis potius, ut mihi videtur, quam tussis convulsivae symptomata describantur. Qua de re sententiae eorum medicorum accedam, qui tussim convulsivam morbis novis accensent. Quodsi autem animadvertimus, tussim convulsivam et morbillos, qui frequenter conjuncti sunt, in littoribus marium septentrionalium quotannis sponte oriri et grassari, in mediis Europae regionibus vix

quinto quoque anno provenire, Italos, Graecos, Hispanos multo rarius iis obnoxios fieri, dum in zona torrida nunquam fere observantur, secundum Cl. Schoenlein verisimillimum fit morbos illos, sicuti influenzam et reliquas catarrhales epidemias, in terris septentrionalibus ortos tempore demum migrationis Cimbrorum et Teutonum ad regiones meridionales pervenisse, qua de re tussis convulsiva sub blando Hippocratis coelo ignota fuerit, licet tam sit antiqua, quam ipsa primordia generis humani.

Morbus noster saeculo XV, quo Franco-Galliam tenebat, primo accuratius a medicis observatus et a Willisio singularibus morborum speciebus adscriptus est nec non nomen tussis convulsivae seu spasmodicae traxit, inde in omnibus Europae regionibus observatus est, plurimaeque ejus epidemiae descriptae reperiuntur. Celeberrimae autem et atrocissimae anno 1580 et 1732 exstitere, quarum altera paene tòtam Europam permigravit nec Orienti pepercit, altera, Europa devastata, etiam ad Jamaicam usque ad terram Peruvianam et Mexicanam dilata est. In pluribus Germaniae regionibus anno 1768, 69, 72, 75, 77 et 80, in Britannia 1767, in Italia 1781 morbum majus minusve atrocem sese praestitit. Anno 15, 18, 25 saeculi XIX plures vehementiores epidemiae grassabantur, mitioris autem indolis erat epidemia anni 1829, 31 et 35.

Synonyma morbi sunt: pertussis, tussis ferina, canina clangosa, morbus cucularis, a soni similitudine. — Tussis convulsiva s. spasmodica, tussis infantum s. infan-

tes strangulans, tussis stomachica, amphimerina tussiculosa, bronchitis epidemica (Marcus); Germanorum: Keichhusten, Brechhusten, Stickhusten, Schafhusten, Eselshusten, blauer Husten.

DEFINITIO.

Omnia haec nomina tussim significant epidemicam et contagiosam, quae peculiari quodam sono, hinnitui asinino comparato, sed omnem fere descriptionem repudiante et experientia tantum cognoscendo, exspirationibus plurimis se invicem excipientibus, aspiratione sonora tardaque, suffocationis periculo, porro vomituritione ingenti, vomituque ipso, sub finem paroxysmi accedentibus se manifestat.

DECURSUS.

Ad hujus morbi decursum accuratius delineandum, a plurimis autoribus stadia tria ponuntur, scilicet stadium catarrhale seu incrementi, stadium convulsivum et stadium atonicum s. decrementi, quae sensim pedetentimque se excipiunt, atque instar morbi ipsius diversissima fruuntur diuturnitate. Mórbus ut intra sex hebdomades raro finitur, ita non facile menses sex excedit.

STADIUM CATARRHALE S. INCREMENTI.

Hujus stadii symptomata fere semper sunt eadem, quae catarrhum comitari solent: coryza, sternutatio crebra, rubor oculorum cum aucta sensibilitate et lacryma-

rum stillicidium, raucedo, oppressio pectoris, tussicula brevis et sicca, interdum sono singulari hostem sequentem nuntians, lassitudo et languor corporis totius, febris remittens cum vespertina exacerbatione leni horripilatione saepius repetita irregulari, quam modicus calor siccus, nocturnus et sudor praecipue capitis et pectoris matutinus sequuntur, cum pulsu frequenti, parvo, interdum duriusculo et pleno, cum situ adaucta, doloribus capitis cumque urina sedimentum lateritium albidumve deponente, aut pallida et limpida. Sub vesperam una cum exacerbatione tussis apparere solet et usque ad mediam noctem increbescit. Remissionibus adeo perspicuis plures medici commoti febrem intermittentem putarunt modo quotidianam modo tertianam. Mora hujus stadii inter tres dies et hebdomades est, quod tussi spasticam magis magisque induente formam finitur, simulque ille paroxysmus tussis peculiaris intrat.

STADIUM CONVULSIVUM S. SECUNDUM.

In hoc stadio morbus ad fastigium evehitur. Symptomata stadii prioris non solum perdurant, immo ad summos vehementiae gradus perveniunt, quapropter paroxysmi illi, quibus morbus utpote propriis nomen suum debet, maxime ex omnibus mali symptomatibus eminentes digni videntur, qui accuratius describantur.

Tussis in primo stadio lenis et minus molesta in hoc crebrior et violentior evadit et periodicos exhibet paroxysmos, quorum indoles spastica satis dilucidatur;

etiam febris cum ceteris phaenomenis supra descriptis hoc stadium comitatur atque altiorem vehementiam ostendit.

Inter paroxysmum ipsum, qui aspiratione diuturna, sonora, clangosa atque stridente, subsequentibus exspirationibus brevibus frequenter sese excipientibus, insignitur, anxietas maxima infantes vexat. Respirationis enim processus summopere turbatur, facies maxime coerulescit atque turget, oculi rubescunt, ex orbitis protruduntur, lacrymas effundunt, nares magnam pituitae copiam edunt, omnes fere musculi tremiscunt, manus pedesque frigent et saepe convulsionibus distrahuntur, totumque pectus ita spastice affectum, ut suffocationis periculum immineat, saepissime sudor frigidus per totum corpus diffunditur. Pulsus parvus, celer et interdum remittens attingitur. Paroxysmus ipse unam usque ad quinque minutas permanet, donec vomitus pituitae copiosae et viscidae, quacum simul cibi extruduntur, pluries repetitus ei finem cum maximo aegrorum levamine ponit.

Paroxysmo finito aegri bene valere videntur, rubor faciei evanescit, respiratio expeditior et regularior procedit, contentis ventriculi remotis, saepe magna cum cupiditate cibos appetunt, pueri ad ludos revertunt aut viribus exhaustis obdormiscunt. Interdum autem in ipsa intermissione valetudo laesa observatur, respiratio accelerata et imperfecta, alvus obstructa, pulsus celer, parvus et duriusculus, urina vel tenuis et aquosa, vel sedimento farinario praedita, interdum irritabilitas aucta remanet,

aegroti omnium injuriarum impatientiores sese praebent, morositati, rixandi cupidini aliisque vitiis indulgent.

Singuli impetus non raro quartis cujusve horae singulis partibus redeunt; interdum regulares sunt et certam periodum observant, ut Stoll, Mathaei, Cullen, Jahn contendunt, dum Hufeland aliique tussim alternis diebus graviorem viderunt, qua de re febrem intermittentem in tussi convulsiva adesse multi affirmant, in eo autem omnes consentiunt vespertino tempore accessiones vehementiores fieri. Aut sua sponte impetus revertunt aut occasionibus extrinsecus oblatis citius reducuntur, scilicet corporis motu vehementiori, cursu, ciborum haustu, clamore, risu, animi affectione, praecipue ira, omnibusque aliis corporis et animi excitationibus.

Mora hujus stadii incerta solet esse; in universum quidem inter hebdomades sex et duodecim finitur, sed quibusdam in casibus multo brevius, in aliis multo longinquius deprehenditur, hunc paucos tantummodo dies vexans, illum totos per menses premens, quae res partim ab aegroti habitu, partim a tempestatis indole, partim e medela instituta dependet. Omnia symptomata quae initio increscunt sub finem iterum remittunt, tussis sicca in humidam transit, pituita tenuis spissior, copiosior et globosior quasi cocta redditur et facilius ejicitur. Ubi accessionum frequentia minuitur, atrocitas demulcetur, aspirationes clangosae, longae desinunt, febris evanescit et morbus in tertium stadium transire dicitur.

Semper accessionibus hujus stadii uti systematis ner-

vosi aliis morbis prodromi antecedunt; pectoris oppressio, sensus titillatorius laryngis et tracheae spasticus, praecordiorum anxietas, interdum vertigo et gravior dolor capitis, interdum pruritus frontis, sternutatio pluries repetita, sperandi difficultas. Plerumque etiam infantes animo imminentem praesagientes paroxysmum ludos relinquunt, avide res circum dispositas arripiunt, arreptisque tenaciter inhaerent et antrorsum inclinantur, quo facilius impetum sustineant.

STADIUM DECREMENTI S. ATONICUM.

Hoc stadium ab antecedente distincte sejungi nequit. Febris nunc prorsus deficiens, nisi in primo jam desiit, paroxysmi leniores atque mitiores, vomitu non amplius terminati, intervalla longiora interposita, sputa flava cocta, globosa, cum levamine ejecta, criterio esse possunt. Mox tussis tantummodo noctu sponte apparet, interdiu excessibus in edendo, corporis nisu, vel animi pathemate ingrato excitatur, semper tamen aliquid spastici retinet, donec prorsus evanescat. Aegroti, si exitus faustus contigit, alacriores evadunt, colorem vegetiorem auferunt, vires recreantur, urinae secretio augetur, temperies corporis naturalis redditur et cutis aequabiliter humescit, donec omnes totius corporis partes ad normam revertant et valetudo integra reducatur.

Stadium tertium per tres vel quatuor hebdomades perdurare solet, nisi tempestate ingrata, regimine diaete-

tico offenso, symptomata saepius recrudescunt aut totus morbus recidivus fit.

DE COMPLICATIONE.

Febres rheumaticae, catarrhales, gastricae, biliosae, inflammatoriae et intermittentes ex eadem aëris ratione ac indole, ex qua tussis ipsa, rarius quidem cum tussi convulsiva complicationem ineunt, ubi autem fit, diversis epidemiis diversum characterem impremunt easque aut ad gastrosin, aut ad sordes biliosas gignendas, aut ad inflammationes topicas, exempli causa pulmonum, procliviores reddentes, observatas constituunt epidemiarum varietates.

Relatio ad exanthemata notanda est. Exanthemata chronica, ut scabies, tinea, etc. ab individuo, quod corripuerant, tussim convulsivam vel arcere, vel certe mitiorem reddere, solent. Variola et vaccina decursum ejus in suspenso tenent, donec decursum ipsae fecerint. Prorsus diverso modo morbilli se habent, tussis convulsiva et morbilli minime sibi sunt oppositi, sed potius affines, juxta apparent in eodem individuo, quin morbilli dispositionem ad tussim convulsivam augent, qua de causa satis certe epidemiam sequentem praesagire licet, quum morbilli grassantur. Quae magna inter utrumque morbum affinitas Autenriethum in sententiam deduxit, tussim convulsivum et morbillos non esse diversos morbos, sed alterum alterius modificationem. Hoc autem falsum esse ex eo concludi licet, quod infans mor-

billos passus nequaquam contra tussim convulsivam munitus est, et vice versa qui tussi convulsivae obnoxius fuit ab morbillis non tutus evadit; hoc autem constat, unumquemque semel tantum a morbis illis corripi solere.

EXITUS.

Exitus triplex in sanitatem completam aut incompletam, in alium morbum, in mortem.

De exitu in valetudinem integram jam supra expositum est, saepe autem multifaria mala subsistunt.

a) Dispositio ad haemorrhagias, pulmonum debilitas et aucta irritabilitas.

b) Alienationes mentis et sensuum, fatuitas, epilepsia, coecitas, surditas ex cerebri commotione aut sanguinis extravasato ortae, resident.

c) Dislocationes ex vehementi corporis conquassatione ortae, uti herniae, prolapsus, adeo laryngis ruptio, ossium pectoris fracturae et luxationes observatae sunt.

d) Scrophulosis germen, uti a morbillis et aliis exanthematibus acutis, ita a tussi convulsiva citissime evolvitur.

Exitus in alium morbum, in blennorrhoeam pulmonum, excessu criseos, asthma, bronchitidem, pneumoniam, anginam membranaceam.

Exitus in mortem. Mors aut subito inter paroxysmum ipsum intrat mox suffocatione, mox apoplexia, sequela extravasationis sanguinis in cerebro, congestionibus sanguinisque regressu impedito ortae; aut sequitur mors

extra paroxysmum morbis intercurrentibus, pneumonia, typho et aliis. At prior casus raro observatus est, et ipse peritissimus Hufeland nonnunquam infantulum inter tussis paroxysmum animum exspirantem vidit.

PROGNOSIS.

Ad praesagium accuratius constituendam haec sunt respicienda:

a) Genius epidemiae, quae nostro aevo mitiorem se exhibet quam vetustioribus annis, exempli causa Romae anno 1580.

b) Aetas. Quo minor infantulus natu est, eo magis discrimen vitae tussis convulsiva minatur; lactantes raro morbum superant.

c) Anni tempus. Hieme ortus morbus noster pertinacissimus est, aestate facilius sanatur.

d) Constitutio corporis. Quo infirmiore constitutione aegrotus fruitur, eo majori versatur in periculo. Infantes scrophulosi, rhachitici, cyanotici, quorum digestio et assimilatio admodum turbatae sunt; neque minus debilioribus respirationis organis, aut thoracis deformitatibus praediti, vel parentibus phthisicis nati, graviore afficiuntur morbo, et saepissime mortem obeunt, sin superent in morbos secundarios, uti phthisin pulmonalem, hydrothoracem, aliosque incidere solent. Valida autem corpora et bene nutrita multo minorem offerunt metum, ne tussi convulsiva opprimantur.

e) Complicationes. Dentitio, dysenteria, morbilli,

scarlatina, variolae, convulsiones tussi convulsivae supervenientes valde dubiam reddunt prognosin; summum periculum vitae quoque adest, si constitutione aëris epidemica favente ad tussim convulsivam respirationis organorum incendia, ut saepe fieri solet, accedunt.

f) Morbi decursus atque symptomata. Quo diutius morbus protrahitur, quo longiores, frequentiores et saeviores singuli paroxysmi exstant, eo pejor est prognosis instituenda.

Initio morbi epistaxis modica leviorem decursum reddit, etiamque diarrhoea modica opportunior, quam obstructio alvi, immodica autem vires prosternit, vomitus spontaneus idemque modicus prognosin laetissimam offert, praecipue si cutis humida, artus calidi sunt et reliquae functiones rite succedunt. Si tussis rarior, spiritus facilior ducitur, appetitu ciborum aucto placidoque somno aegri recreantur, intermissiones manifestiores sunt, atque urina et alvi secretio naturalem indolem recepit, optime sperare possumus. Si autem anorexia, oedema pedum, urina turbida, albida, pulsus mutabilis in conspectum prodeunt, mala prognosis ponatur necesse est. Sudores viscidi, dolores capitis, tussis citra remissionem, aspiratio sibila, raucedo, insomnia, sputa tenacia, horripilationes, febris hectica, virium decrementum et corporis totius macies, funestum exitum praesagiunt. Qui chronicis cutis affectionibus, scabie, tinea laborant, iis morbum leviorem reddi observarunt, J a h n, H u f e l a n d, L e n t i n, T h i l e n i u s, aliis negantibus.

DIAGNOSIS.

Ad diagnosin confirmandam tum signa pathognomonica indicari, tum differentias, quae tussim convulsivam inter et morbos similes, quibuscum confundi possit, intercedunt, afferri oportet.

Signa pathognomonica haecce: paroxysmi vehementis tussis, suffocationes minantes, noctem amantes, aspirationibus raris, tardis, sonoris insignes, vomitu terminati, intermissiones liberae paroxysmis interpositae, decursus morbi longinquus, satis regularis, typi aliquid tertiani.

Quibus cum morbis commutari possit pertussis, sunt: Catarrhus simplex, bronchitis maligna, angina membranacea, asthma Millari.

1. Morbus incipiens facile cum catarrho simplici confunditur; stadio autem exeunte primo characteristice intermissionibus, tussiendi modo, sonitu clariori et acutiori ab hoc discrepat. Ceterum quod ad rationem medendi, haec confusio initio nihil damni affert, quia illius fere eadem est.

2. Bronchitis maligna praecipue symptomatum permanentia, dolore tracheae ardente, dyspnoea continua, rumore rauco mucoso et febri torpida, distinguitur.

3. Anginae membranaceae forma intermittens nunquam certe tam longas tamque liberas concedit intermissiones, febris ejus inflammatoria major, vires celeriter prosternentis, decursus acutissimus, dolores laryngis tactu aucti, raucedo major, rumor raucus stertorosus, longin-

quiores et strangulántes accessiones, nihil autem spastici ostendentes, tussi peculiari metallica, sibilante, galli cantum referente, proclivitas denique ad formandas concretiones membranaceas diagnosin indubiam reddit.

4. Asthma Millari a medico incautiori cum secundo stadio tussis convulsivae commutari potest; sed asthmati stadium prodromorum catarrhalium aut brevissimum aut nullum praecedit, impetus subito media nocte intrat, non solum larynx, sed etiam scapulae sursum trahuntur, titillatio tracheae abest omnisque dolor, respiratio fit spastica, anhelans, brevis, irregularis, tussis aut nulla, aut fini tantummodo accedit, paululum pituitae tenacis excreans, paroxysmus inde a quinque ad decem minutas perdurat, aut brevioris morae est, et mox redit. Talibus paroxysmis nocturnis libera intermissio unius diei ad tres dies interjecta est, serius demum poroxysmi etiam diurni reveniunt atrocitate crescente et plerumque asthma secundo vel tertio paroxysmo neglectis auxiliis aegrotum extinguit, semperque sporadice reperitur, dum tussis convulsiva epidemica.

AETIOLOGIA.

Tussi convulsivae aetas infantilis obnoxia esse solet, praecipue ab anno secundo usque ad pubertatem incipientem, rarius lactentes infestantur, adulti rarissime et inter eos muliebres, quarum natura ab infantili minus remota est. Augetur etiam dispositio habitu scrophuloso, constitutione sensibili, praecipue organorum respirationis

irritabilitate aucta, qua de causa morbilli respirationis vias potissimum vexant, easque irritatas relinquunt et frequenter tussi convulsivae praecedunt, viam quasi munientes. Causa occasionalis aut singularis aëris constitutio aut contagium. Constitutio aëris ad pertussim gignendam eadem, quae ad rheumatismos et catarrhos opportuna est, aër scilicet frigidus humidus, si praecipue tempestatibus commovetur, aut repentinae frigoris atque caloris vicissitudines, qualis tempestas autumnali et vernali tempore invenitur et in regionibus maribus propinquis saepius, diutius et in altiori gradu, quam in terris intermediis, regnare solet.

De contagiositate medici dissentiunt, quam Rosenstein, Schaeffer, Hufeland, Jahn et J. Frank contendunt, eandem Stoll, Danz, Metzger et Sprengel negant. Henke utramque sententiam eo conjungendam esse putat, ut tussis convulsiva morbis secundario-contagiosis adnumeretur et primam scilicet originem a singulari aëris constitutione pendere contendit, praecedente autem epidemia materiam contagiosam enasci et latius propagari. Secundum Schoenlein contagium exhalatione pulmonum miasmatis instar per aërem dispergitur, sputisque annexum est. Locus contagium excipiens membrana et trachealis mucosa. Inde a tempore contagii excepti usque ad germen evolvendum et germinationis symptomata procreanda spatium octo dierum necessarium esse mihi videtur.

Analogia aliorum morborum scarlatinae, morbillorum, variolarum, qui, uti tussis convulsiva, semel tantummodo

hominem corripiunt et quorum contagiositas non dubitatur. Progressus tussis convulsivae ex una ad alteram regionem lente serpentis, qui, si morbus omnino ex sola aëris constitutione originem ducit, hac aëris constitutione per terram citissime se extendente, non tardior esse debet.

Multa exempla morbi contagio propagati satis manifesta, sicuti exempla infectionis impeditae, si infantes sani a tussientibus separabantur. Casus saepius obvii, in eadem familia tum demum ceteros infantes ab uno tussi laborante infectos fuisse, quum sputa cocta ejicerentur.

Quod sedem et naturam singuli autores diversissimas sententias protulerunt, antiquiores enim ut Huxham (1), Basseville, Waldschmidt (2), Thompson, Stoll (3), Underwood sedem in ventriculo posuerunt; alii, ut Butter (4) in tractu intestinali, Villiers in hepate crediderunt. Argumenta, quibus sententias suas defendunt, haec proferuntur; oppressio regionis epigastricae, nausea, vomitus spontaneus, tussis clangosa et alta e ventriculo tamquam prodiens, porro usus salutaris emeticorum, contra vis nocifera oleosorum et mucilagineorum. His omnibus autem varia possunt objici; experientia enim docet, oleosa et mucilaginea non semper nocere, quippe quae in casibus quibusdam cum eximio effectu adhibeantur, vomitus etiam nequaquam e gastricismo, sed a peculiari irritatione nervi Vagi et Phrenici oritur, quamquam

(1) Huxham. Oper. Tom. I. II.
(2) Prax. observat. XXIII. p. 39.
(3) Ratio medend. Tom. II. p. 160.
(4) Curmethode der wichtigsten Kinderkrkheit. Leipzig 1788.

atrocitatem tussis levat, qua de re magis idiopathicus habendus est, nam plerumque symptomata gastrica absunt e. c. lingua muco flavo obtecta, defectus appetitus aliaque, nisi complicatio adest. Neque emeticorum usus in pertussi saluberrimus iis, qui indolem et sedem illius morbi organis chylopoëticis inesse contendunt, certum praebet argumentum, quod etiam in aliis morbis, quorum causa non a saburris pendet, emetica eximii effectus sunt, quum vis eorum ad systema nervorum efficacissima et saepissime saluberrima sit.

Meltzer (1) cacochymiam acrem pituitosam tussi convulsivae subesse censet, atque sedem ejus ventri infimo tribuit. Danz (2) causam proximam in quadam corporis cachexia ponit, qua sublata morbus quoque tollitur. Uterque autem causas cum effectu commiscere videtur.

Alio modo Girtanner argumentum parum probabilius demonstrare studet, miasma tussi convulsivae subjacens, cum miasmate, quod ex paludibus oriri solet, maximam habere similitudinem, dum

Autenrieth (3), qui unguento tartari stibiati adhibito saluberrimos in tussi convulsiva effectus observavit, materiem quandam, et quidem pus in pustulis, quas unguentum illud ciere solet, causam proximam hujus morbi assignat.

---

(1) F. C. Meltzer, Abhandlung vom Keuchhusten. Petersb. u. Leipzig 1790.

(2) Danz, Fr. G., Vers. einer allg. Gesch. d. Keuchh. 1791.

(3) Versuche für die practische Heilkunde. Bd. II. Hft. I.

Inflammationem bronchiorum, ut Whatt et Marcus, vel laryngis, ut Reuss contendit, certe in pertussi simplice non adesse multi jam autores probarunt. Talis autem foret inflammatio, quae neque signis acusticis neque turbata respiratione, vel voce, neque pulsu, neque sensu cognosceretur, nam in intermissionibus paroxysmorum omnia saepe desunt signa morbi, inflammationis autem non est intermissio.

Longe probabilior et ingeniosior opinio esse mihi videtur, quam Hufeland (1) jam ante multos annos in lucem protulit, quamque multi alii autores experitissimi, ut Jahn (2), Baldanus (3), Haase (4), Henke, Loewenstein-Loebel (5) plus minusve secuti sunt. Ille enim sedem tussis convulsivae in nervo Vago, in nervis Phrenicis et per consensum etiam in plexu pulmonali collocat, indeque omnia illius morbi phaenomena luculenter et praecipue deducit.

Simili modo Lorinser (6) indolem et vim tussis convulsivae ex nervi Vagi et Phrenici alienata actione atque adaucta pulmonum irritabilitate derivat.

---

(1) Bemerkungen üb. den Keuchhusten in den Bemerkungen üb. Blattern. p. 171.

(2) Ueber den Keuchhusten. Rudolstadt 1805.

(3) Der Keuchhust. nach meinen Ansicht. bearb. Halle 1805.

(4) Dissertatio de tussi convulsiva etc.

(5) Handbuch über Erkenntniss und Heilung der Kinderkrankheiten. 1818.

(6) Ueber Erkenntniss und Heilung der häutigen Bräune u. Keuchhusten. Leipzig 1811.

(7) Lungenkrankheiten. p. 438.

THERAPIA.

Quum de sede atque natura tussis convulsivae diversissimae sententiae obtineant, per se exstat etiam maximam diversitatem rationis medendi locum habere; qui theoriae inflammationis bronchiorum aliorumque organorum favent, qui morbum spastici esse generis putant, antispasmodicam, alii alias methodos adhibent, emetica et alvum cientia remedia, mitigantia aeque ac tonica et incitantia. Attamen in tussi convulsiva curanda, ut in morbis omnibus epidemicis, non solum corporum constitutio diversa, sed etiam genius epidemicus maxime respiciendus est; nam experientia docet, medelam in altera epidemia maxima cum utilitate institutam in altera sine ullo fructu fuisse. Epidemiae vernali tempore et hiemali grassantes sanguinis detractionem plerumque poscunt, quae autem aestate occurrunt, emeticis vincuntur. Inde prodierunt tot methodi, tot remedia, et totam materiem medicam exhaustam invenies, immo permulta remedia specifica laudata et commendata. Uti autem permulti morbi decursum regularem exhibent, ita in hunc quoque therapiae magna vis non exercenda est, sed cura tantum sit symptomatica, immo fere omnes medici morbum certum quendam mutationum ordinem percurrere necessarium esse, contendunt, itaque, quum sine periculo sisti nequeat administrari potius debere et quodam modo regi. Indicatio causalis deficit, quum morbus constitutioni atmosphaericae originem debeat, cujus vis removeri non potest.

Cura prophylactica jubet, infantes sanos ab aegrotis sejungi. Commendatum est quoque, sacculos moscho, camphora, chamomillis repletos in praecordiis referri. Tincturam seminis santonici optimum praeservativum Hahnemann laudare frustra studet, nequaquam enim tale se praebet. Post infectionem existimatam emeticum citissime porrectum hostem imminentem depellere non sine causa perhibetur.

Cura morbi. Primo et secundo stadio curae diversitas a febre aut praecedente aut absente dependet, si deest utraque eadem est.

Cura stadii primi. Indicatio prima est febrem, plerumque catarrhalem tollere. Eo crisin rite dirigi necessarium est, ut evacuationes criticas natura efficere possit, qua de causa aegrotus in aëre conclavis aequabiliter calido detinendus, diaeta sit vegetabilis, potus tepidi, mucilaginosi saccharo dulcati, leviora diaphoretica: iufusum florum sambuci, specierum pectoralium, decoct. radic. althaeae seu liquiritiae cum liquor. ammon. acet. seu vino antimonii; curationi externae inhalationes vaporum tepidorum, vesicatoria vel sinapismi in pectore, vel inter scapulas posita satis faciunt. Si autem febris atrociter hoc in stadio existit magisque ad synocham accedit, methodus antiphlogistica auxilio est vocanda, quae eo magis indicatur, quo manifestiora inflammationis topicae symptomata apparent, quo vehementiores oppressiones et dolores pectoris se ostendunt, porro si tussis sicca, vel sputis sanguineis commixta, si pulsus frequens, plenus, durus, ten-

sus, cutis arida, ardens, urina parca et flammigera, lingua pura et sitis ingens est; tunc ea ab omni parte locum habent nec non sanguinis detractiones postulantur. Quod has attinet, venaesectiones pueris tantum convenire videntur, qui propius ad pubertatem accesserunt, natu minoribus, topicae detractiones sanguinis prosunt, easque repetitas satis sufficere ad inflammationem deprimendam credo. Praeterea usus medicamentorum, quae sanguinis fervorem moderant, uti cali acetic., tartar. aliorum salium et pulpae tamarindorum et prunorum et acidorum vegetabilium non negligendus est. Si hac curatione febris crisibus rite inductis evanuit et complicationes dimissae neque amplius sunt deterrentes, nihil superest, quam ut medicus irritabilitatem respirationis organorum adauctam remediis idoneis temperet, et si in hac cura persistendum est, probe observandum est, ne ex diutius adhibita debilitas infantibus noxia resideat.

Cura stadii secundi. Paroxysmorum frequentiam atque diuturnitatem minuere et intensitatem moderare, id est, quod medico in hoc stadio propositum est, quodque is remediis rite adhibitis perficere potest. Magnopere hic valet diaeta, immo multis in casibus levioribus sola diaeta observata, quin sine ullo remedio in usum vocato, morbus non minus cito devictus est, quam in aliis, remediis validissimis adhibitis. Manet diaeta supra descripta, attamen carnis aliquantulum infantibus permitti potest. Accuratissime autem vetanda sunt perfrictiones

et omnia, quae paroxysmos reducere possunt et corporis et animi excitationes.

De remediis antispasmodicis quae commemorentur digna habenda sunt haec: Moschus, quem Haase, Hufeland, Danz, Home multo cum fructu applicaverunt, praesertim si morbilli aut typhus cum tussi convulsiva conjuncti erant; flores zinci a multis autoribus laudantur et praegressis emeticis intra nonnullos dies tussim solvere dicuntur. Hic etiam radix ipecacuanhae vel sola, refracta dosi, vel cum opio propinari potest, et asa foetida, quae jam saepe efficacissima observata est.

Neque minus a plurimis medicis narcotica validissima remedia ducuntur, quorum principem locum Opium tenet, cujus quidem usum Stoll et Marcus dissuadent, experientia autem probatur, illud remedium inflammatione absente se utilissimum praestitisse, sive in pulvere, ut Doweri, sive in mixtura cum vino antimonii adhibitum; ceterum maxima in dosi praescribenda opus est cautela, quum infantes minimas tantum doses ferant. Belladonna vel infuso vel in pulvere a Schaeffero ut specificum fere remedium commendatur, quod multi alii medici illustres confirmarunt. In hoc tantum peccat, quod fauces exsiccet, oculos suffundat, vertiginem provocet et respirationem impediat.

Extractum hyoscyami Jahn et Hufeland laudant et fortasse Opii praeferendum, quod minus congestionibus favet, minusque alvum adstringet.

Dulcamara recentiore tempore ab **Osannio** in usum vocata est et cum fausto effectu adhibita.

Cantharides **Hufeland** laudat, propter antagonismum qui intercedit inter viscera uropoëtica et respirationis organa. Tincturam proponit, et a guttis 2 — 3 incipit,; inde dosis sensim est augenda statim vero minuenda, quum primam aeger stranguriam persentit.

Emetica saepius repetita in tussi convulsiva simplici sine inflammationibus optimo cum eventu praebentur, quippe quae salutarem eliciant effectum ad cutem, et ventriculo bronchisque muco refertis, evacuatione promptissimum atque tutissimum aegris levamen afferant; tussim diutius arcent et peculiarem fortasse efficaciam, qua nervorum pneumogastricorum vita mutatur, exerceant.

Alia denique methodus, nuperrime a medico **Thiel** proposita, commemoranda est. Acidum muriaticum adhibet et a drachmis duabus vel tribus incipit, inde ad dosin drachmarum quatuor vel sex transit, quas aqua delutas et syrupo correctas infantibus cujusvis aetatis per diem consumendas proponit. Hujus remedii eximiam efficacitatem in omnibus tussis convulsivae stadiis **Thiel** maxime laudat, quippe qui ne inflammatione quidem organorum respirationis illud contemnendam esse affirmet. Huic etiam **Henke** assentitur, cui in epidemia autumnali et hiemali Erlangiae grassante egregium auxilium se praebuit, dum Belladonna, Opium, Sulphur. aurat. antimon. et similia antea adhibita non solum nihil effecerunt, immo tussis accensiones auxerunt.

Ex externis remediis, quorum multitudo maxima, afferam: Unguentum nervinum abdomini atque dorso adhibuit Neumann, infricta ex Oleo Cajeput in pectus et collum Thunberg laudavit. Succum Allii expressum scrobiculo cordis et plantae pedum infricandum Hufeland et Kilian commendant. Tartari stibiati solutionem, tinctura cantharidum addita, scrobiculo cordis infricatam Struve optimo cum effectu imposuit. Kohlhaas denique mixturam e spiritu frumenti cum zingiberis pulvere utilissimam esse affirmat.

Prae omnibus remediis externis illa methodus commemoranda est, quam Autenrieth primus in usum vocavit. Hoc remedium constat ex tartari stibiati parte una et dimidia, cum axungia porci partibus octo in formam unguenti subactum, et scrobiculo cordis ad magnitudinem nucis avellanae infricatur, donec pustulae emergant. His infrictionibus per dies octo ad duodecim continuatis tussim convulsivam paroxysmis non mitioribus, sed tantum rarioribus demum plane evanescere Autenrieth affirmat, quocum alii medici consentiunt, alii autem praeter pustularum efflorescentiam nullum effectum se expertos esse contendunt. Interdum exanthema secundarium, ad scrotum apparens effectum faustum praesagire dicitur.

Cura stadii tertii. Si hoc stadium regularem offert decursum, exaltata respirationis viarum sensibilitas decrescit mucique secretio uberior evadit et antimonialia et gelatina lichenis islandici ad reliquas sequelas morbi compescendas sufficiunt cum victu et regimine apto abstinen-

tiaque a refrictionibus conjuncta. Si autem pertussis vehemens persistit et pituita aegrius excreatur, remediis jam dictis, ut opio, hyoscyamo, ipecacuanha cum externis remediis adhuc uti juvat. Ad muci secretionem immodicam cohibendam viae aëriferae perpurgandae usu expectorantium incitantium: Sulphur. aurat. antim., Kermes mineral., Ipecacuanhae, Senegae, Squillae. Viribus exhaustis aegroti et immodica secretione muci perseverante ob bronchiorum debilitatem medicamentis tonicis, Chinae, uvae ursi, licheni islandico, myrrhae et phellandrio aquatico locus est.

VITA.

Ego, Oscar Jannasch, Cothino-Anhaltinus, natus anno MDCCCXVI, patre Joanne, matre Julia, e gente Wachter, quam per tres jam annos lugeo mortuam, confessioni evangelicae addictus sum. Annum agens octavum, numero gymnasii discipulorum adscriptus sum, quod in urbe patria adhuc floret rectore Haenisch, ibique ad annum usque MDCCCXXXVI, literis imbutus, maturitatis testimonio sum munitus. Tempore vernali hujus anni Berolinum me contuli atque ab Ill. Busch, t. t. rectore magnifico, in numerum civium academicorum receptus ab Ill. Mueller, t. t. decano spect., facultati medicae adscriptus sum.

E Philosophicis audivi Cel. Beneke de logice et encyclopaedia philosophica, Cel. Magnus de physice experimentali, Ill. Mitscherlich de chemia experimentali et zoochemia.

E Medicis Ill. Link de botanice et pharmacologia, Ill. Hecker de encyclopaedia et methodologia et de historia medicinae, Ill. Casper de pathologia et therapia speciali, Ill. Mueller de anatomia et corporis humani et organorum sensuum, de anatomia comparata atque pathologica, nec non de physiologia hominis in specie et de generationis physiologia. Ill. Schlemm de syndesmologia, osteologia et splanchnologia. Artem cadavera rite secandi me docuit Ill. Schlemm una cum Ill. Müller, Ill. Osann materiam medicam exposuit, Ill. Kluge artem obstetriciam mihi tradidit et Exp. Ascher-

son et Ill. Juengken de chirurgia tum generali tum speciali et de oculorum atque auditus morbis, Cel. Romberg de diagnostice et neuropathologia disserentes audivi.

Clinicis exercitationibus medicis, chirurgicis, ophthalmiatricis et obstetriciis virorum Ill. atque Cel. Osann, Barez, Wolff, Dieffenbach, Beat. de Graefe et Rust, Juengken et Kluge interfui.

Quibus viris doctissimis atque celeberrimis, maximas, quas possum, gratias habeo, semperque eorum me discipulum fuisse laetabor.

Jam vero tentaminibus, tum philosophico tum medicis atque examine rigoroso superatis, spero fore, ut, dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores mihi concedantur.

THESES.

1. Fungum medullarem nihil nisi hypertrophiam nervorum organicorum esse contendo.
2. Hunteri arteriarum aneurysmaticarum ligandarum methodum Aneli methodo praeferendam esse, contendo.
3. Varioloides Variolas vaccina modificatas esse, nego.
4. Pertussis neurosibus adnumeranda est.